

Martine Furno, IHRIM

Panorama de l'usage du latin à la Renaissance et à l'âge classique.

Recueil de textes.

1- Lorenzo Valla, *Elegantiae*, Préface au livre I (texte édité dans M. Regoliosi, *Nel cantiere del Valla*, Roma, Bulzoni, 1993, pp. 120 - 125)

Laurentii Vallensis de elegantia lingue latine proemium primum.

Cum sepe mecum nostrorum maiorum res gestas aliorumque vel regum vel populorum considera, videntur mihi non modo ditionis nostri homines, verum etiam lingue propagatione ceteris omnibus antecelluisse. (2) Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Grecos aliosque permultos longe lateque rerum potitos esse, quosdam etiam, ut aliquanto inferius quam Romanorum fuit, ita multo diuturnius imperium tenuisse constat; (3) nullos tamen ita linguam suam ampliasset ut nostri fecerunt, qui, ut oram illam Italie que Magna olim Grecia dicebatur, ut Siciliam que greca etiam fuit, ut omnem Italianam taceam, per totum pene occidentem, per septemtrionis, per Africe non exiguum partem, (4) brevi spatio linguam romanam, que eadem latina a Latio ubi Roma est dicitur, celebrem et quasi reginam effecerunt et, quod ad ipsas provincias attinet, velut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem prebuerunt: (5) opus nimirum multo preclarius multoque speciosius quam ipsum imperium propagasse. (6) Qui enim imperium augent, magno illi quidem honore affici solent atque imperatores nominantur; qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ii non humana, sed divina potius laude celebrantur, quippe cum non sue tantum urbis amplitudini ac glorie consulant, sed publice quoque hominum utilitati ac salutem. (7) Itaque nostri maiores rebus bellicis pluribusque laudibus ceteros homines superaverunt, lingue vera sue ampliacione seipsis superiores fuerunt, tanquam relicto in terris imperio consortium deorum in cela consecuti. (8) An vera Ceres quod frumenti, Liber quod vini, Minerva quod oleae inventrix putatur, multique alii ob aliquam huiusmodi beneficentiam in deos repositi sunt, linguam latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem et vere divinam, nec corporis sed animi cibum? (9) Hec enim gentes illas populosque omnibus artibus que liberales vocantur instituit; hec optimas leges edocuit; hec viam eisdem ad omnem sapientiam munivit; hec denique prestitit ne barbari amplius dici possent. (10) Quare quis equus rerum estimator non eos preferat qui sacra litterarum colentes iis qui bella horrida gerentes dari fuerunt? (11) Illos enim regios homines, hos vero divinos iustissime dixeris, a quibus non, quemadmodum ab hominibus fit, aucta res publica est maiestasque populi romani solum, sed, quemadmodum a diis, salus quoque orbis terrarum. (12) Eo quidem magis quod qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere et, quod acerbius est, libertate spoliari se existimabant, nec fortasse iniuria; (13) ex sermone autem latino non suum imminui, sed condiri quadammodo intelligebant, ut vinum posterius inventum aque usum non excussit, nec sericum lanam linumque, nec aurum cetera metalla de possessione eiecit, sed reliquis bonis accessionem adiunxit. (14) Et sicut gemma aureo inclusa anulo non deornamento est, sed ornamento, ita noster sermo accedens aliorum sermoni vernaculo contulit splendorem, non sustulit. (15) Neque enim armis aut cruore aut bellis dominatum adeptus est, sed beneficiis, amore, concordia. (16) Cuius rei, quantum coniectura suspicari licet, hoc, ut ita loquar, seminarium fuit. Primum, quod ipsi maiores incredibiliter se in omni studiorum genere excolebant, ita ut ne in re quidem militari aliquis nisi idem in litteris prestans esse videretur: quod erat ceteris ad emulationem non exiguum incitamentum. (17) Deinde, quod ipsis litterarum professoribus premia egregia sane proponebant. (18) Postremo, quod hortabantur provinciales omnes ut tum Rome tum in provincia romane loqui consuescerent. (19) Ac, ne pluribus agam de comparatione imperii sermonisque romani, hoc satis est dixisse. (20) Illud iam pridem, tanquam ingratum onus, gentes nationesque abiecerunt; hunc omni nectare suaviorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmaque pretiosorem putaverunt et quasi deum quandam e celo demissum apud se retinuerunt. (21) Magnum igitur latini sermonis sacramentum est! magnum profecto numen! qui apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes sancte ac religiose per tot secula eustoditur, ut non tam dolendum nobis Romanis quam gaudendum sit atque ipso etiam orbe terrarum exaudiente gloriandum. (22) Amisimus, Romani, amisimus regnum atque dominatum, tametsi non nostra sed temporum culpa: verum tamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. (23) Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum multaque alie nationes: ibi namque romanum imperium est ubicunque romana lingua dominatur.

2 – Leon Battista Alberti, *De pictura*, II, 40, édition T. Golsenne et B. Prévost, Paris, Le Seuil, 2004.

Hactenus de superficialium compositione. Sequitur ut de compositione membrorum referamus. In membrorum compositione danda in primis opera est ut quaequae inter se membra pulchre conveniant. Ea quidem tunc convenire pulchre dicuntur, cum et magnitudine et officio et specie et coloribus et caeteris siquae sunt huiusmodi rebus ad venustatem et pulchritudinem correspondeant. Quod si in simulacro aliquo caput

amplissimum, pectus pusillum, manus perampla, pes tumens, corpus turgidum adsit, haec sane compositio erit aspectu deformis. Ergo quaedam circa magnitudinem membrorum ratio tenenda est, in qua sane commensuratione iuvat in animantibus pingendis primum ossa ingenio subterlocare, nam haec, quod minime inflectantur, semper certam aliquam sedem occupant. Tum oportet nervos et musculos suis locis inhaerere, denique extremum carne et cute ossa et musculos vestitos reddere. Sed (video) hoc in loco fortassis aderunt obiiicientes quod supra dixerim nihil ad pictorem earum rerum spectare quae non videantur. Recte illi quidem, sed veluti in vestiendo prius nudum subsignare oportet quem postea vestibis obambiando involuamus, sic in nudo pingendo prius ossa et muscoli disponendi sunt, quos moderatis carnibus et cute ita operias, ut quo sint loco muscoli non difficile intelligatur. At enim cum has omnes mensuras natura ipsa explicatas in medium exhibeat, tum in eisdem ab ipsa natura proprio labore recognoscendis utilitatem non modicam inveniet studiosus pictor. Idcirco laborem hunc studiosi suscipiant, ut quantum in symmetria membrorum recognoscenda studii et operae posuerint, tantum sibi ad eas res quas didicerint memoria firmandas profuisse intelligant. Unum tamen admoneo, ut in commensurando animante aliquod illius ipsius animantis membrum sumamus, quo caetera metiantur. Vitruvius architectus hominis longitudinem pedibus dinumerat. Ipse vero dignius arbitror si caetera ad quantitatem capitis referantur, tametsi hoc animadverti ferme commune esse in hominibus, ut eadem et pedis et quae est a mento ad cervicem capitis mensura intersit.

3 – Poggio Bracciolini, *Facetiae* 46, 47, 79.

46 - De confessore

Mulier adolescens, quae id mihi postmodum retulit, profecta est aliquando ad confitendum peccata sua, prout fit tempore quadragesimae. Cum inter loquendum se viro non servasse fidem diceret, statim confessor, qui Frater erat, libidine incensus, protento pallio, priapum erectum in manu adolescentulae posuit, suadens ut sui misereretur. Illa rubore perfusa abiens, matri, quae haud procul erat, roganti quidnam sibi tantus rubor sibi vellet, narravit confessoris suasionem.

47 - Responsio mulieris faceta

Interrogata semel a viro mulier quanam causa esset, cur, cum in coitu voluptatis ita particeps esset femina sicut vir, tamen homines citius appeterent sequerenturque mulieres quam illae viros, tum illa: “Summa cum ratione hoc institutum est” inquit “ut potius nos requiramus a viris. Constat enim paratas ac promptas nos ad concubitum semper esse, vos autem non: frustra igitur viri peterentur a nobis, cum essent imparati”. Scita facetaque responsio.

79 - De gallo et vulpe

Esuriens quondam vulpes, ad decipiendas gallinas, quae, gallo duce, arborem excellentiorem quo sibi aditus non erat, ascenderant, ad gallum blande accessit, quem comiter cum salutasset: “Quid in excelso agis?” inquit “Numquid non audisti nova haec recentia tam salutaria nobis?”. “Nequaquam” gallus cum respondisset “atqui praenuncia”, “Huc accessi” ait “ad communicandum tecum alacritatem. Animalium omnium concilium celebratum est, in quo pacem perpetuam omnium animalium inter se firmarunt, ita ut omni sublato timore, nulli ab altero insidiae aut iniuriae fieri amplius queant, sed pace et concordia omnes fruuntur. Licet abire unicuique, vel soli, quo velit, secure. Descendite igitur, et hunc festum agamus diem”. Agnita vulpis fallacia gallus, “Bonum” inquit “affers nuncium et mihi gratum” et simul collum altius protendens, prospecturoque longius et admiranti similis, in pedes se erexit. “Tu quidnam aspicias?” vulpes cum dixisset, “Duos” inquit “magno cursu, ore patulo adventantes canes”. Tum tremebunda vulpes: “Valete” inquit “mihi fuga expedit, antequam illi adveniant” et simul coepit abire. Hic gallus: “Quoram fugis, aut quid times?” ait “Siquidem pace constituta, nihil est timendum”. “Dubito” inquit vulpes “en canes isti audierunt decretum pacis”. Hoc pacto dolo illus est dolus.

4 – Enea Silvio Piccolomini, *Historia de duobus amantibus*, texte édité dans *Histoire de deux amants*, traduction de Isabelle Hersant, Paris, Les Belles-Lettres, 2001, pp. 7 – 8, 38 – 39 et pp. 64 – 66.

Le blason de Lucrece

Precipuo tamen inter eas nitore Lucretia fulsit adolescentula, nondum annos viginti nata, in familia Camillorum, Menelao prediuiti nupta viro, indigno tamen cui tantum decus domi seruiret, sed digno quem uxor deciperet et, sicut nos dicimus, cornutum quasi cervum redderet.

Statura mulieris eminentior reliquis, come illi copiose et aurei laminis similes quas non more virginum retrofusas miserat, sed auro gemmisque incluserat; frons alta spatiique decentis, nulla intersecta ruga, supercilia in arcum tensa, pilis paucis nigrisque debito intervallo disiuncta; oculi tanto splendore nitentes ut in solis modum respicientium intuitus hebetarent. His illa et occidere quos voluit poterat et mortuos cum libuisset in vitam resumere. Nasus, in filum directus, roseas genas equali mensura discriminabat. Nihil his genis amabilius nihilque delectabilius visu que, cum mulier risit, in parvam utrimque dehiscabant foveam. Nemo has vidit qui non cuperet osculari. Os parvum decensque, labia corallini coloris ad morsum aptissima, dentes paruuli et in ordinem positi

ex crystallo videbantur, per quos tremula lingua discurrens non sermonem, sed armoniam suauissimam mouebat. Quid dicam mentis speciem aut gule candorem? Nihil illo in corpore non laudabile. Interioris forme indicium faciebat exterior.

Nemo hanc aspexit qui viro non invideret. Erant insuper eius in ore multe facetie: sermo is fuit qualem rumor est Gracorum matrem habuisse Corneliam, siue Hortensii filiam, nec suavius aliquid eius oratione nec modestius fuit. Non ut plerumque tristi facie honestatem ostendebat, sed alacri vultu modestiam. Non timida, non audax, sed temperatum verecundie metum, virilem animum femineo corde gerebat. Vestes illi multiplices erant, non monilia, non fibule, non balthei, non armille deerant. Redimicula capitis mirifica, multi uniones adamantesque tum in digitis, tum in serto fuere. Non Helenem pulcriorem fuisse crediderim, quo die Pariden in convivium Menelaus excepit, nec ornatiorem Andromachen, cum sacris Hectoris initiata est nuptiis.

Présence d'esprit féminine (ou : l'amant dans le placard)

At, ut est in periculis subitaneis mulierum quam virorum promptius ingenium, e re nato remedio: "Age," inquit "vir, cistella illic super fenestra est ubi te meministi monimenta nonnulla recondidisse. Videamus an illic chirographa sint reclusa ». Subitoque decurrens, tanquam vellet aperire cistellam, latenter illam deorsum impulit et, quasi casu cecidisset: "Proh, mi vir," ait "adesto ne quid damni sentiamus. Cistella ex fenestra cecidit, perge otius, ne iocalia vel scripture dispereant. Ite, ite ambo. Quid stetit? Ego hinc, ne quis furtum faciat, oculis observabo".

Viden audaciam mulieris. I nunc et feminis credito. Nemo tam oculatus est ut falli non possit. Is duntaxat illusus non est quem coniunx fallere non temptavit. Plus fortuna quam ingenio sumus felices.

Motus hoc facto Menelaus Bertusque una repente in viculum se precipitant. Domus, Hetrusco more, altior fuit multique gradus descendendi erant; hinc datum est Eurialo spatium mutandi locum qui ex monitu Lucretie in novas latebras se recepit. Illi collectis iocalibus atque scripturis, quia chirographa quibus opus erat non receperant, ad scrinia, iuxta que latuerat Eurialus, transeunt ibique voti compotes facti, consalutata Lucretia recesserunt.

Illa obducto foribus pessulo: "Exi, mi Euriale, exi, mi anime," inquit "veni gaudiorum summa meorum, veni foras, delectationum mearum scaturigo, letitie favum mellis, veni, dulcedo incomparabilis mea. Iam tuta sunt omnia, iam nostris sermonibus liber campus patet, iam locus est amplexibus tutus. Adversari oculis nostris fortuna voluit, sed aspiciunt dii nostrum amorem, nec tam fidos amantes deserere voluerunt.

Veni iam meas in ulnas, nihil est quod amplius vereare, meum liliam rosarumque cumulus. Quid stas, quid times? Tua hic sum Lucretia. Quid cunctaris Lucretiam amplexari?".

Eurialus, vix tandem formidine posita, sese recepit complexusque mulierem.

(...)

Erat Lucretia levi vestita palla que membris absque ruga herebat, nec vel pectus vel clunes mentiebatur: ut erant arctus sic se ostentabant: gule candor nivalis, oculorum lumen tanquam solis iubar, intuitus letus, facies alacris, gene veluti lilia purpureis mixta rosis, risus in ore suavis atque modestus, pectus amplum, papille quasi duo Punica poma ex utroque latere tumescebant pruritumque palpitantes movebant.

Non potuit Eurialus ultra stimulum cohibere, sed, oblitus timoris, modestiam quoque abs sese repulit aggressusque feminam: "Iam" inquit "fructum sumamus amoris" remque verbis iungebat. Obstabat mulier curamque sibi honestatis et fame fore dicebat, nec aliud eius amorem quam verba et oscula poscere. Ad que subridens Eurialus: "Aut scitum est" inquit "me huc venisse aut nescitum. Si scitum, nemo est qui cetera non suspicetur et stultum est infamiam sine re subire. Si nescitum et hoc quoque sciet nullus: hoc pignus amoris est, emorior priusquam caream". "Ah, scelus est!" inquit Lucretia. "Scelus est" refert Eurialus "bonis non uti cum possis: an ego occasionem mihi concessam, tam quesitam, tam optatam, amitterem?". Acceptaque mulieris veste, pugnantem feminam, que vincere nolebat, abs negotio vicit.

Fin tragique

Hec nostra, postquam Eurialus ex visu recessit, in terram collapsa, per famulas recepta est cubilique data donec resumeret spiritum. Vt vero ad se rediit, vestes aureas purpureasque et omnem letitie reclusit ornatum pullisque tunicis usa nunquam posthac cantare audita est, nunquam visa ridere, nullis facetiis, nullo gaudio nullisque unquam iocis in letitiam potuit revocari. Quo in statu dum aliquandiu perseverat, egritudinem incidit et, quia cor suum aberat nullaque menti dari consolatio poterat, inter multum plorantis brachia matris ac collacrimantes et frustra consolatoriis verbis utentes necessarios indignantem, animam exalavit. Eurialus, postquam ex oculis nunquam se amplius visuris abiit, nulli inter eundem locutus, solam in mente Lucretiam gerebat et an unquam reverti posset meditabatur venitque tandem ad Cesarem, Perusii manentem, quem deinde Ferrariam, Mantuam, Tridentum, Constantiam et Basileam secutus est ac demum in Hungariam atque Bohemiam.

Sed, ut ipse Cesarem, sic eum Lucretia sequebatur insomnis nullamque sibi noctem quietem permittebat. Quam ut obiisse verus amator agnovit, magno dolore permotus, lugubrem vestem recepit, nec

consolationem admisit, nisi postquam Cesar ex ducali sanguine virginem sibi, tum formosam, tum castissimam atque prudentem matrimonio iunxit.

5a - **Francesco Petrarca**, *Familiares*, II, 14 (texte édité dans Pétrarque, *Lettres Familiales*, Vol. I, Paris, Les Belles Lettres, 2002, p. 229)

Ad eundem, ab urbe Roma

[1] Ab urbe Roma quid expectet, qui tam multa de montibus acceperit? Putabas me grande aliquid scripturum, cum Romam pervenissem. Ingens michi forsitan in posterum scribendi materia oblata est; in presens nichil est quod inchoare ausim, miraculo, rerum tantarum et stuporis mole obrutus. [2] Unum hoc tacitum noluerim: contra ac tu suspicabaris accidit. Solebas enim, meministi, me a veniendo dehortari, hoc maxime preteritum ne, ruinosae urbis aspectu fame non respondente atque opinioni meae ex libris concepte, ardor meus ille lentesceret. Ego quoque, quamvis desiderio flagrare, non invitatus differebam, metuens ne quod ipse michi animo finxeram, extenuarent oculi et magnis semper nominibus inimica presentia. [3] Illa vero, mirum dictum, nichil imminuit, sed auxit omnia. Vere maior fuit Roma, maioresque sunt reliquae quam rebar. Iam non orbem ab hac urbe domitum, sed tam sero domitum miror. Vale.

Rome, Idibus Martiis, in Capitolio.

5b – **Angelo Poliziano**, *Epistolae*, I, 1 (éditée dans Angelo Poliziano, *Letters*, vol. I, books 1 – 4, edited and translated by S. Butler, The I Tatti Renaissance Library, Harvard University Press, 2006)

Angelus Politianus Petro Medici suo s. d.

1 Egisti mecum saepenumero, magnanime Petre Medices, ut colligerem meas epistolas et in volumen redactas publicarem. Collegi, ne non in omnibus obsequerem tibi, quo sunt in uno spes omnes opesque meae sitae. Neque collegi tamen universas; id enim laboriosius quam Sibyllae folia. Non scripseram videlicet ad hoc, ut in unum corpus referrentur, sed ad usum praesentem duntaxat, oblatis argumentis, non quaesitis. Ita nec exempla mihi retinui, nisi quarundam (puto) minus felicium, quae diu iam cum blattis et tineis rixabantur. Veruntamen, ut instar voluminis efficerem, nonnullas etiam missas ad me, sed a doctis duntaxat, inserui, quae marcentem quasi stomachum lectoris excitarent.

2 Est autem omnino stilus epistolarum mearum ipse sibi dispar, quo nomine multum quoque, scio, reprehendar. Nam nec eadem mihi semper voluntas, nec idem cuique vel personae vel materiae congruebat. Non deerunt ergo qui dicant, ubi tam varias epistolas legerint (si qui modo legerint), iterum me miscellanea, non epistolas composuisse. Sed inter diversas opiniones et praecipientium de epistolis et epistolas scribentium, speravi fore profecto necubi mihi patrocinium deesset. Occurret aliquis forsitan qui Ciceronianas esse neget: huic ego dicam (nec sine auctore tamen) in epistolari stilo silendum prorsus esse de Cicerone. Rursus alius hoc ipsum culpabit, quod aemuler Ciceronem: sed respondebo nihil mihi esse magis in votis quam ut vel umbram Ciceronis assequar. Optaret alius ut oratorem Plinium saperem, quod huius et maturitas et disciplina laudatur: ego contra totum illud aspernari me dicam Plinii saeculum. Sed etsi Plinium cuique redolebo, tuebor ita me, quod Sidonius Apollinaris, non omnino pessimus auctor, palmam Plinio tribuit in epistolis. Symmachum si cui referre videbor, non pudebit, ut cuius et brevitatis celebretur et rotunditas. Abesse rursus a Symmacho si cui credar, negabo mihi siccitatem placere. Longiores quaedam dicuntur epistolae: tales Plato scripsit, Aristoteles, Thucydides, Cicero. Dicuntur aliae contra nimis breves: obiciam tunc ego Dionem, Brutum, Apollonium, Marcum, Philostratum, Alciphronem, Iulianum, Lybanium, Symmachum, sed et Lucianum, quem falso Phalarim vulgo putant. Damnabit alius me quod argumenta non sint hic epistolaria: damnari me patiar, sed cum Seneca. Nolet aliquis in epistolis sententias: provocabo rursus ad Senecam. Poscet alius rursus sententias: huic ergo pro me Dionysius resistet ac pertinere sententias ad epistolam negabit. Stilus esse nimium dicitur apertus: hunc tamen laudat Philostratus. Dicitur obscurus: at est ad Atticum talis M. Tullii. Neglegens erit: at epistolis neglegentia est ipsa pro cultu. Rursus erit idem diligens: convenit maxime, quoniam pro munere mittuntur epistolae. Si concinnitas ibi sit, asseretur a Dionysio. Si desit, ab Artemone. Tum quoniam Romani quoque sunt Atticissimi quidam, si non erit Attica, decebit hoc ipsum; nam quo alio damnatur Herodes quam quod Atticus homo nimis Atticisset? Sin contra nimis Attica, Theophrastus hic proferetur, in hoc notatus ab anicula, licet homo non Atticus. Non erit festiva: me vero severitas delectat. Non erit severa: sed ego deliciis sapior. Figuras habebit: hos ergo ipsos quasi gestus amat epistola sermoni propior. Carebit figuris: at hoc ipsum carere figuris figurat epistolam. Promet indolem scribentis: id quoque praecipitur. Non promet: non scilicet quaesivit, ut quae carere ambitione debet. Circulo claudetur: hoc et Graeci faciunt. Aberit circulus: nec hoc Philostratus improbat. Soluta erit et incomposita: non displicet Aquilae. Pedes habebit et iuncturam: non displicet Quintiliano. Non aget: non est enim dialogus. Aget: est affinis dialogo. « Communiter dicis, » inquit alius, « quae communia, nove quae nova »: cum stilo res igitur congruit. Immo autem, « Communiter nova dicis, nove communia »: nempe quoniam

memor sum praecepti veteris, τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς. Ad hunc igitur modum posse usquequaque spero tergiversari. Sed tamen ipsi viderint. Tibi vero, mi Petre suavissime, certo satis faciam vel in epistolis, si bonae fuerint, vel in obsequio, si non bonae. Vale.

6 – Giovanni Pontano, *De principe liber*, ed. G. Capelli, Salerno editrice, Roma, 2003.

Entrée en matière, § 1 – 2.

[1] Publius Cornelius Scipio, dux Alfonse, cui post ex virtute Africano fuit cognomen, cum sibi aedilitatem petenti tribunos Plebis videret obsistere, quod nondum ad petendum legitima aetas esset: « Satis - inquit - annorum habeo, si me Quirites habilem facere volunt ». Fretus enim virtutibus suis, quanquam adolescens et ante tempus, magistratum tamen petere a populo non dubitavit. [2] Te autem, vix dum annos pubertatis egressum nec id petentem, pater vicarium Regni creavit decrevitque provintiam Calabriam, videlicet non annis aut aetati haec tribuens tuae, sed virtutibus, quarum tanta apud omnes sit expectatio ut cunctorum et populorum et procerum Regni oculos in te unum converteris. Et Scipio quidem eum se gessit in aedilitate ut Quirites postea non penituerit tanto favore ad ferenda suffragia in tribus suas discurre. Te autem decet anniti ut et patris iudicium et expectationem de te omnium exuperes, quod facile quidem praestabis si tibi ipse non defueris.

Un prince cultivé et d'abord agréable, § 61 - 62

61. Lodovici Pontani, gravissimi viri et sua aetate iurisconsultorum principis, nobilis sententia est, neminem posse in litteris clarum evadere nisi qui plurima legerit, audierit, memoriae mandaverit. Quam si subtilius intueri velimus, intellegimus regem etiam bonum esse nequaquam posse nisi saepe et multum legat, multos multa referentes audiat, lecta atque audita memoriae mandet. Quod etiam Homerus comprobare videtur, qui Ulixem, quem sapientem effingere volebat, ab ipso statim operis initio his laudibus tanquam circumscripserit: « Qui mores hominum multorum vifit et urbes ». 62. Quamobrem, si amari a familiaribus, quod unum prae omnibus studes, vis, si futuri boni regis expectationem concitare, quod solum a diis immortalibus optas, id de te imprimis praesta, ut non uni ex omnibus addictus vivas, quod maxime alienum est a principe, sed teipsum omnibus tanquam per vices partire, palam faciens unum te esse ad quem referri omnia et velis et debeant. Ut enim male actum esset cum genere humano, si uni se Deus aut paucis admodum praeberet exorandum, eodem modo male cum principum regumque familiaribus si in tanta multitudine uni aut paucis admodum locus fidesque sit. Nullus enim familiaribus maior est dolor quam ubi cum principe suo veluti per interpretem agendum sit.

7 – **Pietro Martire D'Anghiera**, *De orbe nouo*, première décade, livre premier, §§6 - 11 (texte édité dans Pierre Martyr D'Anghiera, *De orbe nouo*, I, *Oceana decas*, édition, traduction et commentaire de Brigitte Gauvin, Paris, Les Belles Lettres, 2003, pp. 19-23.)

6. Ab his igitur insulis Colonus occidentem solem semper secutus, licet in leuam paulisper, tres et triginta continuos dies caelo tantum et aqua contentus nauigauit. Hispani comites munnurare primum secreto coeperunt. Apertis mox conuiciis urgere, de perimendo cogitare demum uel in mare proiciendo consulebatur: se deceptos fuisse ab homine Ligure, in praeceptis trahi qua numquam redire licebit. Post trigesimum iam diem furore perciti proclamabant ut reducerentur, ne ulterius procederet stimulabant hominem; ipse uero blandis modo uerbis, ampla spe modo, diem ex die protrahens, iratos mulcebat. Deposcebat, proditione quoque, taxandos esse a regibus, si aduersi quicquam in eum molirentur, si parere recusarent praedicabat. Optatum tandem terrae prospectum laeti suscipiunt.

7. Patefecit nauigatione hac prima sex tantum insulas, atque ex iis duas inauditae magnitudinis, quarum alteram Hispaniolam, Ioannam alteram uocauit, sed Ioannam esse insulam non pro certo habuit. Illarum quarundam litora cum abraderent, cantantem inter condensa nemora philomenam mense Nouembri audierunt. Dulcium aquarum ingentia flumina, natiuos portus magnarum classium capaces adinuenit. Ioannae litora lambens ad occidentem a septentrione recto latere non multo minus octingentis millibus passuum percurrit: aiunt enim centum et octoginta leucas, continentem arbitratus, quod neque terminus neque termini ullius signum in insula, quantum oculis prospectus inseruiebat, appareret, retrocedere instituit. Redire etiam illum pelagi tumores coegerunt, nam Ioannae litora per uarios inflexus tantum iam ad septentrionem se uertebant et curuabantur, quod Boreales flatus naues acius infestarent, quoniam hiems uigebat.

8. Ad orientem igitur proras uertens Ophyram insulam sese reperisse refert, sed cosmographorum tractu diligenter considerato, Antiliae insulae sunt illae et adiacentes aliae. Hanc Hispaniolam appellauit; in cuius septentrionali latere, temptare locorum naturam cupiens, terrae appropinquabat, cum in planam quamdam et caecam rupem aquis coopertam carina grandioris nauis incidens aperitur et perstat. Saxi latentis planicies fuit illis ne submergerentur adiumento; cum reliquis igitur duabus properantes uiros omnes incolumes educunt.

9. Ibi primum, ad terram egressi, homines indigenas uiderunt, qui uenientem inauditam gentem conspicati facto agmine in condensa nemora omnes ueluti a canibus Gallicis timidi lepores sese fugientes

recipiunt. Nostri multitudinem insecuti mulierem tantum capiunt ; hanc cum ad naues perduxissent, nostris cibis et uino bene saturatam atque ornatam uestibus, nam ea gens omnis utriusque sexus nuda penitus uitam ducit, natura contenta, solutam reliquerunt. Quom primum ad suos mulier concessit (sciebat enim illa quo fugientes diuerterent) ostendissetque mirum esse nostrorum ornatum et liberalitatem, omnes ad litora certatim concurrunt. Gentem esse missam e caelo autumant. Aurum cuius erat apud illos aliqua copia ad naues natando portant pro frusto aut paropsidis fictilis, aut uitrei crateris aurum commutabant. Si ligulam, si tintinabulum, si speculi fragmentum, si quicquam aliud simile nostri impartiebantur, tantum auri quantum petere licebat, aut unusquisque eorum assequabatur, exhibebant. Cum iam res ipsa ad familiare commercium deuenisset, et gentium mores nostri perquirerent, reges habere entem illam per signa et coniecturas cognouerunt.

10. E nauibus descendentes nostri a Rege et reliquis indigenis honorifice recipiuntur. Nostris omnibus quibus poterant et sciebant modis assurgebant. Sole ad occasum uergente nostris, dato salutationis angelicae signo, genua Christiano ritu flectentibus, itidem illi faciebant. Crucem quocumque modo Christianos colere conspicerent adorabant. Ex nauis quam saxo illisam diximus, nostros homines et quicquid in ea uehebatur ita celeriter atque animo laeto gens illa in terram suis linthribus quas canoas uocant eduxerunt. Quod affines affinibus apud nos nulli maiore misericordia tacti succurrant.

11. Canoas autem illas ex solo cauato acutissimis lapidibus ligno, longas sed angustas construunt, monoxyla propterea esse dicemus. Octoginta remigum capaces plerasque se uidisse multi affirmant. Vsus ferri apud eos nullus inuenitur. Propterea quomodo siue domos quas mira arte laboratas uidebant, siue alia quaecumque ad eorum usum pertinentia fabricarent, maxima nostros detinuit admiratio, sed ex fluuialibus quibusdam durissimis lapidibus praeacutis omnia apud illos diduci certum est.

8 – **Cristoforo Landino**, *Xantra*, élégie 20 *Ad Franciam* (texte édité dans *Musae reduces, Anthologie de la poésie latine de la Renaissance*, ed. Pierre Laurens, Brill, Leiden, 1975, vol. I, pp. 54 - 57).

AD FRANCIAM

Septima iam gelidae noctis deuoluitur hora :	1
Nunc optata diu dulcia fructa feram.	
O nox purpureis nunquam cessura diebus,	
Sis mihi perpetua, sis sine luce, precor!	
Quos ego nunc referam, mea nox, te teste, triumphos,	5
Tu modo secreta contege cuncta fide.	
Sed fluit, heu, tempus : satis est, mea Francia, surge !	
Surge, suam foribus, Francia, pelle seram !	
En iam purpureum pronon labentia cursu	
Oceano mergent sidera pulchra caput,	10
Ipsaque lux aderit Veneris contraria furtis.	
Surge, suam foribus, Francia, pene seram!	
Me miserum ! Quotiens miseri falluntur amantes !	
His quotiens ridens fregit amica fidem !	
En iam stridenti Borea mihi membra rigescunt,	15
Iam uitream fecit cana pruina togam,	
Dum promissa mihi reserari limina demens	
Auguror, at molli nunc iacet illa toro	
Immemor et nostri geminas ob dormit in aures,	
Aut in nos fictos ridet, amara, dolos.	20
Sed satis atque super lusisti, Francia, surge!	
Surge, suam foribus, Francia, pelle seram!	
O mihi si magicae parerent carmina uocis	
Saeuaque Medae gramina nota forent,	
His ego te inuitam duxissem, perfida, sacris,	25
Quandoquidem sana mente uenire negas.	
Sed satis atque super lusisti, Francia, surge!	
Surge, suam foribus, Francia, pelle seram!	
At tu crudeli domina iam durior ipsa,	
Ianua, debueras sponte patere mihi.	30
Quam fuit exiguum uerso me admittere furtim	
Cardine : sic falli nostra puella cupit.	
Illa quidem per se nostro indulgere furori	

Denegat, inuitam se cupit usque rapi.
Vah, minimo poteris binos obstringere amantes 35
Ipsa tibi obsequio, sed nihil ipsa sapis.

Hem, cui frondentes uolui legisse coronas,
Hem, cui tot demens floreaserta tuli !
Sed peream si me posthac, ingrata, uidebis 40
Ad tua purpureas limina ferre rosas.
Te caries rodat, tibi di... sed dum queror, ecce
Rimula perfulgens lumen aperta dedit.
Nonne pedum strepitum? Falsa uel imagine ducor?
O me felicem! Francia nostra uenit !